

C A R M E N

A. D. IV. KAL. DEC.

MDCCCXXIX

QUO DIE

MAXIMILIANUS

L U D O V I C I R E G I S

FILIUS NATU MAXIMUS

REGNI FUTURUS HERES

VIRILEM AETATEM INGRESSUS EST

IN CONSESSU

TRIUM ACADEMIAE REGIAE MONACENSIS CLASSIUM

RECITATUM

A

FRIDERICO ROTHIO

REGNI BAJOARICI SENATORE

CONSIST. PROTEST. SUPR. PRAESIDE.

EXPRESSUM JUSSU ACADEMIAE

TYPIS WOLFIANIS.





Principem juvenum, viris
Quem stato inseruit die
Lex, fidelia civium
Pectora atque oculi simul
Nostra in urbe requirunt.

Quaerit et comitata *arum*
Rarior manus et *patri*
Militans numerosior,
Quaeque *ei* genita est comes
Aetas tertia quaerit.

Cur abest aquila satus
Pullus egregius procul
Vertice a patrio, caret
Sede amica, alacri caret
Nidi murmure aviti?

Sit modus querimoniae;
Subtrahit cupientibus
Dulce visere jam caput,
Forte consilium *patris*
Mens et provida *regis*;

Quae sui studii tenax
Et suam recolens vicem,
Filium juvenilibus
Credit illecebris procul
Noto Pieridum antro.

Martium veluti genus
Saepe progeniem suam,
Ne sibi absimilis foret,
Strenue gelidae dabat
Rheni fluminis undae.

Postquam enim occidit aureum
Saeculum, atque necessitas
Imperat, nihil aptius
Muniente scientia est
Vitae ad commoda partum.

Nec salubria porrigens
Fila Gnosia Theseo
Scitius potuit dolis
Expedire latentibus
Sponsi gressum Ariadne;

Nec dare Aesonidae, boum
Ne patri famulantium
Flammea ora pavesceret,
Efficacius hospiti
Aeëtis medicamen.

Sed perennia duplici
Quae sinunt homines via
Fata adire scientiam,
Destinant iter arduum
Justae, commodum iniquae.

Quos enim placido mari
Blanda littore ab improbo
Carmina alliciunt, ii
Turpis ad scopulos jacent
Monstris praeda canoris.

Ad juga Aonia innocens
Ducit, Uraniae domos,
Semitae, asperioribus
Dura principiis, levi
Laeta fine laboris.

Summum adusque apicem ferat
Grandior *juvenem* gradus
Regium, nec eum specus
Terreant neque saltuum
Praerupta atque profunda.

Commoretur in editis
Aedibus sapientiae,
Dia quas, neque nubium
Subdita imperiis vagis,
Aeternum aura coronat.

Hic viriliter intuens
Quae fuere, sacras pia
Mente reliquias colens,
Ominabitur ordinem
Temporum venientum.

Lubricas solidis opes,
Justo amore libidines
Segregabit, inanibus
Pulcra, mancipiis viros,
Duratura caducis.

Quo magis sit idoneus,
Quando avita reconditus
Sceptra tradiderit dies;
Gloriosa premat potens
Ut vestigia *patris*;

Quem diu sibi sospitem,
Divitem decorum omnium, ad
Summa quaeque ducem gravem,
Cum *domo* populus cupit
Bajoarius omnis.

